essemus tali doctore, taliq; amico: Sed ista viderit DEI providentia, quæ & decernit omnia sapientissime, & disponit exequiturq; suavissime. Superioribus diebus obiter me salutavit homo egregie doctus à Davide Chytræo rediens, is incredibilia mihi narravit inter Scyphos de illius Academia (in qua cum plerisq; doctissimis familiariter comessatus fuerat) pertinacissimis odijs adversus eos, qui rebus melioribus sunt instituti, Cuiv etiam una quoq; reliquas Civitates Maritimas, in quibus doctissimum quemque salutaverat, in hoc esse conjuratos ajebant, ut cœlum rescindant, utq; è suis finibus exterminent, quicunque aut Christi corpus cœlo capi dixerint, aut cœlum ubique esse negare præsumpserint. O sanctas gentes; quibus corpus, non est corporeum: neq; cœlum sursum est, neq; terra deorsum. Nempe sicut Sophista olim in Durpio vociferabatur: κεῖται, οὐ κεῖται: οὐ κεῖται, κεῖται. Et Heraclitus contradicentia simul vera esse asserebat: Anaxagoras simul falsa: Sed istos ἀτόπων δούλους DEI judicio relinquamus, donec τὸ ἔπος … : … τὸν τόπον τὸν ἴδιον … Resalutant T. H. quos salvere jusseras. Et mea conjunx tibi mecum, tuæq; honestissimæ uxori, & suavissimis liberis, pacem precatur & solidam consolationem. Idem facit noster Familiaris Nicolaus Camper. Vale vir eximie. 6. Idus Oct. 1576. T. H. Studiosiss: Juvenum custos, Bremæ

Johannes Molanus.

Nr. 269)

[= Kner. a. 12. Nr. 258]

Hibernæ lectiones et opera temporibus divisæ Anno novissimi temporis 1576. adhuc regente Scholam cum Deo Johanne Molano.

In Secunda Classe.

Mane Rector leget cum Syntaxi Græca Demosthenis Orationem contra Epistolam Philippi.
Nona hora Dialect. P. Rami lib. 2.
Prima. M. Tullij De optimo Genere Oratorum.
Quarta Vechteman. officia M. Tullij Ciceronis.
Argumentum Orationis faciendæ dictabit Vecht. Carminis Rector. Idem doctrinam pietatis tradet è primis Capitibus 1 ad Cor.
Pro Enchiridio erunt Quæstiones Theodori Bezæ.
Concertationes erunt pro arbitrio Rectoris.

Hæc Classis moribus & studio ceteris specimē & norma esto.

In Classe Tertia.

Mane perget Corrector in Syntaxi Latina, sic ut in singulis Regulis ediscere jubeat 2 modo aut 3 exempla. Idem hora nona docebit Grammat. Clenardi, in hoc potissimum ut nomina & verba ad unguem inflectere hac hyeme discant.
Prima hora proponet Aud. Talæi Rhetoricam.
Die Lunæ & Martis, Die Jovis & Veneris perget in Prosodia, eaq; absoluta, in Metamorph. ostendet rationem carminis faciendi. Ad Quartam Cic. orat. pro Ligario, cujus lectioni accommodatum thema dictabit Corrector, cui accedant versiculi 6 vel 7 ex eodem argumento.
Saturni die mane
9 Proverbia Salomonis à Principio. Qui principia audierunt Epistolam PAULI audient cum ordine secundo.

In Quarta Classe.

M. Hinricus Etymologiam deducet usque ad Syntaxin. Ad eam rem sumet horam sext. & primam, & si quid superest temporis, repetet præcepta Prosodiæ.
Idem hora quarta explicabit Orationem pro Ligario, persequens potissimum Phrases, & Sermonem Latinum, cujus optimus magister est Cicero. Ex eodem thema statis temporibus dictabit.
Die Saturni ad nonam & primam Classi tertiæ & quartæ tradet doctrinam morum ex sententijs Salomonis exordiens à principio, nam antecedentia plerique non audierunt.

In Quinta Classe.

Vecht. minorem Grammaticam absolvet, cum docturos ad sextam & ad primam. In verbis exiget etiam propriam significationem, assidueq; exercebit conjugando.
Nona Cantor tradet faciliores Regulas Syntaxis cum Eclogis Virgilianis. Idem Quarta proponet Elegantias pueriles ex Epist. Ciceronis, in eisq; Etymologiam & Syntaxin perpetuo exercebit. Ex illis ipsis Thema dictabit.
Saturni die concertabunt præside Vechtemanno. Enchiridion hujus Classis Erotem. quæ ad nonam ab initio explicabit Cantor: Ad primam Vecht: Rursus Dominico Die Vechtemannus, meridie Varlem.

In Sexta & Septima.

Minoris Grammaticæ fundamenta jacientur segregatis ijs, qui Bonum infideliter didicerunt.
9 Præter. 1 Nomencl. Vesperi Puerilia Colloquia. Cetera congruent cum ijs quæ facta mens. æsti.

SCHOLASTICÆ LEGES & DISCIPLINA.

Observator & Exactor fidem servent, ne vapulent. Qui aberit Scholis, prius ipse impetret facultatem manendi. Ne quis ludat in publico, nisi quando id licet per ferias sollemnes. Qui palam mentiuntur, qui jurant impie, qui atrox convitium dicunt, qui socium pulsant, qui suos libros distrahunt, aut rapiunt alienos, qui popinas subeunt, aut coëunt ad compotandum, qui adversus Magistrum fremunt, qui in discendis

lectionibus supinam negligentiam produnt. Qui magistratum, concionatorem, Præceptorem irreverenter
prætereunt, qui non reddunt thema, aut ab alio factum reddunt. Denique qui aliquo graviore scelere
Dei leges perfringunt, æquali jure Rectoris judicio, virgæque subycientur. Non gaudemus pœnis, nec ·137·
assuefieri volumus pueros ad patientiam vapulandi: sed interim quæ supplicijs persequenda sunt, ea non
solemus dissimulare. Scilicet ut vanæ sunt leges sine moribus: ita docendi labor inanis est, nisi dignis
pœnis ferocior petulantia coërceatur. Pædagogis præcipimus, Ne pueris suæ fidei commissis privatim
aliquid tradant præter ea quæ proponuntur in Schola, ubi satis multis lectionibus onerantur. Neque
sinant eos publicè vagari incustoditos: neque vagentur ipsi pueris domi relictis. Magistros obtestor per eum,
ad cujus tribunal omnes sistemur: ut consideratione oneris, quod sustineo, æquitatem accommodent præ-
senti necessitati. Ut in armis Imperatorem fulciunt Centurionum industria, & militum virtus: sic Juve-
nilium studiorum jam afflictum Rectorem confirmat, fidelis & pertinax consensio, simul uno jugo
nitentium collegarum. Respice Dn. Jesu clementer ad labores, quos nobis imposuisti, ut possint esse & tibi
placentes, & nobis adolescentulisque salutares. Fiat. Lectiones exordientur cum Deo 4 Calend. Novemb.

Rodolphus Gualtherus Pater. [Gualterus Tigurinus ad Euwichium]

Nr. 270]

S. Martio mense ad te mi doctissime Ewichi, literas dedi, quibus rerum nostrarum statum, & quid à D. Gualtherus Tigurinus ad Erdwichium
clarissimi viri D. Bullingeri obitu acciderit, exposui. Quod autem ad tuas, quas tu ferè eodem tempore scripsisti
[= Ausg. & quas nos ex nundinis Francfordianis accepimus, hucusque non responderim, non alia de causa factum fu-
n. 12; isse putabis, quam quod in hac nostri sæculi hominum perfidia nemo se obtulit, per quem tutò scribere potuerim:
— cum toties jam expertus sim, quam multos insidiatores habeant nostræ literæ: quod ego non miror, cum ad-
Nr. 259] versarios nostros sibi pessimè conscios esse oporteat, ut qui contra conscientiam causam pessimam perti-
naciter ~~defendunt~~ tuentur. Faciunt ergo quod ejusmodi homines solent, & omnia nostra suspecta habent.
Cum vero tempore nundinarum Argentinensium & ludorum publicorum, qui tunc illic acti sunt, occasione
me scribendi commoditatem nactum putarem, tristior remora incidit. Nam gener meus Simlerus sub
initium Junij ex morbo lætali decumbere cœpit, qui secundo Julij illum nobis abstulit, non sine publico
nostræ Ecclesiæ & Scholæ luctu, cujus ille decus fuit singulare: Inde vero ad me dolor privatus redundat,
qui mihi multis modis acerbus est: Nam & generum charissimum amisi, & filiam in flore ætatis
fidissimo conjuge, liberos autem tenellos patre fidissimo orbatos esse video, qui omnes jam à me uno
pendent. Itaque cum illo quidem optimè actum est, qui vitam hanc mortalem & adversæ valetu-
dini obnoxiam cum immortali commutavit: Me vero jam limen senectæ transgressum multæ
molestiæ premunt, ut de publico onere nil dicam, quod humeris meis imponere Deo libuit. Ut
tamen quod verum est fatear, nihil mihi molestius est, quam quod tot tantorum virorum obitus
Ecclesijs vastitatem portendere videntur. Bullingeri mortem facilius ferre potuimus, quod hic
ætatis annum 70.m transgressus cursum vitæ absolverat. At Simlerum meum, eruditione, pietate,
judicio, studio & diligentia præstantem, qui annum 46 m. nondum compleverat, quid nobis eripuit,
quam ingratitudo nostri sæculi, quam DEUS punire statuit, cum incurabilis sit passim eorum contu-
macia, qui sub religionis prætextu privatum quæstum & gloriam quærunt? Quorum inconsiderata
temeritate ~~tenerrimo~~ fit, ut in Repub. ferè leges sileant, Ecclesiæ autem dissidijs & litibus nunquam finiendis tur-
bentur. Quid enim nunc in Saxonia fiat, tibi melius, quam nobis cognitum est. Quid vero conventus
principum, qui Dresdæ agitur, nobis pariturus sit, soliciti exspectamus. Atqui lætum quid vix possumus
sperare, cum ~~illis se Bavaris~~ conjunxerit, quo nullus est hodie Euangelij hostis acrior. Sunt qui
illustrissimi principis Palatini Electoris caput peti existiment, ut vel è gradu suo dejiciatur, vel
sententiam mutet: ex quibus hoc illum minime facturum puto, illud autem vix sine motu publico
fiet. Miror ego principum incogitantiam, qui non vident, quam jucundum spectaculum communibus
Euangelij hostibus exhibeant, & inprimis Austriacæ domui, quam omnium fortunis & terris in-
hiare non est dubium. Sed ut ad tuas literas redeam, vehementer mihi dolet, quod in vestra
Ecclesia novarum dissensionum semina spargi & geminare videam. In prædestinationis doctri-
na miror posse aliquem Philippo Melanthoni, viro alioqui præstantissimo & benè merito,
quicquam tribuere, qui quam initio benè tradiderat sententiam mutavit, & postea tam intricatè
de hac re scripsit, ut illum ne sibi ipsi quidem satisfecisse, quivis videat. Mihi nulla hujus quæsti-
onis explicandæ ratio compendiosior & tutior esse videtur, quam ut disertis Scripturæ sacræ
verbis insistamus, quæ prædestinationem & electionem ex solius DEI decreto æterno pendere
docet, qui ut justus & sapiens est, ita nemini quicquam debet. Qui ulterius decreti ejus causas scru-
tari volunt, ij dum suæ rationis acumen sequuntur, & justitiæ DEI patrocinium suscipiunt
seipsos Labyrinthis quæstionum inextricabilibus involvunt. Quod multis accidisse vidimus, non
sine publico Ecclesiarum scandalo. Sed magis me angit, quæ de propositione ista, Panis cœnæ
est